

INDEX LECTIONUM

IN

ACADEMIA ROSTOCHIENSI

SEMESTRI AESTIVO A. MDCCCLXIX

AB DIE XV M. APRILIS

PUBLICAE PRIVATIMQUE HABENDARUM.

DE CANTICIS EURIPIDEIS

CURAS SECUNDAS

F. V. FRITZSCHII

PRAEMISIT.

(SPECIMEN PRIMUM.)

LITERIS ADLERIANIS.

H. Schmidtus, qui unum per annum institutione nostra usus est, de metris librum evulgabit, qui liber ut ante alia similis argumenti opera ab eo ederetur, sane optandum fuit. Nam Schmidtus praeterquam quod et magnam in labore perferendo industriam et singulare quoddam acumen in vero indagando ad talem rem adferre poterat, idem aures habet teretes, quibus in metro dijudicando etiam G. Hermannus plurimum tribuebat. Nunc autem amicus noster aliud consilium secutus non me incitante (ego enim id quidem dissuadebam) sed auctore Carolo Lehrsio, V. Cl., ab rhythmis sibi putavit exordium esse edito paucis abhinc mensibus libro hocce: „Die Eurhythmie in den Chorgesängen der Griechen.“ Ceterum et de hoc opere et de consimili quodam A. Rossbachii: „Griechische Rhythmik“, a quo viro Schmidtus noster longe solet dissidere, de his igitur quid ego sentiam, pluribus dicetur alio loco et ita dicetur, ut aequitatem iudicii nostri nemo possit desiderare. Interim ab rhythmis paene ignotis ad metra multo notiora (primum equidem ad Euripidea) revertar. Sed quonam modo ego veterum metra poetarum investigare soleam, supervacaneum est ostendere. Nam de universa ratione bene metra tractandi jam inde ab R. Bentlei temporibus una et consentiens vox metricorum fuit principum, quorum ego vestigia lego, primum G. Hermannii, tum R. Porsoni, A. Boeckhii, C. Lachmanni, A. Seidleri, A. Meineki, G. Dindorfi, F. Ritschli, M. Haupti aliorumque. Quos omnes dum metricos dico, eosdem dico, quae res a talis metrici notione revelli non potest, lumina criticorum. Neque enim Porsonus et caeteri viri lectionem mendosam ullius versus ita sanarunt, ut metrum salvum corrumpere sed ut corruptum eadem opera persanarent. At rhythmi nostri, A. Rossbachius, R. Westphalus, H. Schmidtus primum tanta sunt modestia, ut criticam artem raro profiteantur seque ipsos in magnorum numero criticorum haberi nolint: quos certe vestigia optimi cujusque critici pressisse mallet, velut in Aeschilo Hermannii potius quam Hartungi. Quanquam eidem Hermannum quoque saepenumero secuti sunt, Rossbachius tamen vix usquam sine insectatione. Hoc vero vix satis intelligere possum, quomodo eum et criticum et vero metricum partim laudare liceat partim insectari, qui cum vera lectione idem metrum verum restituerit. Denique nemini auctor sim, ut sine diligenti artis criticae scientia sive metra sive rhythmos sive hoc utrumque genus perscrutari audeat. Verum quoniam in eis Euripidis canticis, de quibus infra exponam, dochmiaci potissimum insunt numeri, de dochmiis quoque in universum mentio fiet. His enim versiculis quum ad speciem nihil facilius sit, quanta tamen obscuritate hi ipsi premantur, res docuit. Nam et Bentleius et Porsonus et juvenis Hermannus dochmios, quinam essent quidve sibi vellent nesciverunt, neque omnino eos ante hos LX circiter annos (i. e. ante a. MDCCCXI) quisquam cognitos habebat. Hoc demum anno A. Seidler librum aureum edidit: „De versibus dochmiacis tragicorum graecorum“: quo libro dochmiaci numeri primum in lucem e tenebris protracti sunt. Post Seidlerum, qui in Praefat. p. X doluit sibi dochmiorum doctrinam absolvere non licuisse, miror neminem ac ne rhythmos quidem id studuisse, ut opus inceptum perficerent. Nunquam enim dochmii in scena attica sine ullo cantu recitati sunt, verum semper sive ad tibiam sive ad citharam sive assa voce decantati, ut non tam Seidleri metrici fuerit quam rhythmicorum, numeri dochmiaci rationes explicare. At vero rhythmi nostri dochmios primum vix tangere ausi sunt, Rossbachius eo in libro, quem socio Westphalo edidit „Griechische Metrik“ p. 544—563, Schmidtus autem l. l. p. 133—141, deinde neutri in dochmiis quidem quidquam, quod quidem credibile sit, ipsi viderunt, nisi quod idem prius ab Seidlero didicissent. Quam rem Schmidtus ingenue fatetur p. 140: „Man beachte, inquit, wie überall metrische und rhythmische Eigen-

thümlichkeiten eng zusammenhängen und wie die aus beiden gezogenen Schlüsse — 'et quae porro sequuntur. Ex quo adparet, non per rhythmicos stetisse, quominus nullam dochmiarum notitiam haberemus, sed nisi Seidler metricus fuisset, rhythmicos nostros caliginem pristinam minime dispulsuros fuisse. Sed non magis unquam auguror futurum esse, id quod Seidler expectabat, ut ab metricis solis, qui metra magis novimus quam rhythmos, dochmiarum rhythmorum doctrina omnis absolvi possit. Quae res si quando contigerit, id quod optare magis licet quam sperare, veruntamen si unquam vere evenierit, haec laus esse debebit rhythmicorum. Nam metrici de rhythmorum natura diu pauca et paene nihil adtulerunt. Ita Bentleius verbo tantum arcana musices praetendebat, addito 'ex musicae rationibus ita oportere', Hermannus in melicis saltem trochaeum semantum invenit tetigitque etiam orthium, non item alios pedes musicos ut paeonem epibatam, Boeckhii paullo longius progredi ausus rhythmicorum veterum doctrinam de catalexi acutissime ad metra transtulit. In universum igitur summi viri ita judicant, rhythmicam et musicen veterum dudum emortuam esse atque sepultam neque ullo tempore in vitam revocatum iri. Ne hoc quidem obtigit, ut Aristides Quintilianus et caeteri musicae scriptores, qui nunc misere corrupti sunt, a Bekkeris e codicibus correcti ederentur*). At sic quoque bene de literis meriti sunt et A. Rossbachius, qui primus librum scripsit de graecorum rhythmica et H. Schmidtus, qui non ut ille artis scriptores graecos adiit sed ex ipsis omnia poetis hausit tanquam ex fonte perenni. Quum enim veterum arte rhythmica metrici interdum bene usi essent, tota disputatione sub oculis posita necessario quaesitum est, quibus finibus hic rhythmicae usus contineretur. Unam exempli causa rem adferre juvat, quae vim et usum habere permagnum potest, musicorum graecorum praecepta dico de syllaba longa et ea quidem, ejus major minorve quam duplicis brevis syllabae sit longitudo. Hac enim syllaba longa in melicis poetarum graecorum saepissime utuntur et Rossbachius cum Westphalo et Schmidtus probante C. Lehrsio in libri Schmidtiani censura (Literar. Centralblatt, Jahrg. 1868, No. 34, S. 922 f.). Quae res si obtineri potest, (dubium est autem, quam longe hic usus pateat) si igitur potest, multis super-sedere conjecturis licebit, quibus syllabae secundum metricos non pares per vim exaequatae sunt. Etenim patet isto modo fieri posse, ut hi duo — — et — — — — — eidem pedes fuerint, quum secundum rhythmicos creticus par esse possit etiam choriambus. Nempe in melicis curandum est, sicut optime Porsonus Praefat. ad Eur. Hec. p. XIII, ut eadem aut similis versuum species quam saepissime recurat. Quodsi Rossbachius Schmidtusque in summa re falluntur, metricorum erit id ipsum accurate demonstrare neque eis de tanta re tacere diutius licebit. Equidem ut hos viros rhythmis expiscandis metricae, cui re non signis semper fere inhaerent, magnam scientiam prodere libris metricis Hermanni aliorumque diligenter lectitatis video: ita eorundem novae arti rhythmorum adhuc eo magis diffido, quod temere et inconsulto sumere plura solent quam certo ostendere. Itaque operam dedi, ut Schmidtium meum in metricorum castra totum pertraherem illo vicissim hortante, ut ego sublimis abirem ad nebulas rhythmicorum. Nunc ad dochmios redeo: de quibus etsi unus metricorum A. Seidler librum singularem edidit, postea tamen ab aliis metricis in carminibus antistrophicis ad verum inveniendum haud levis facta est progressio. Comparet mihi aliquis Euripidis carmina dochmiaca quemadmodum ab Seidlero l. l. p. 198 sqq. et in editis seorsim tragoediis tribus constituta sunt cum iisdem carminibus, qualia nunc in Hermanni et Kirchhoffi editionibus leguntur: ita demum et e metrorum collatione et e multorum versuum emendatione facile elucebit, quantum in hoc utroque genere interea profectum sit.

Haec ideo praefatus sum, quod mihi etiamnunc metrici dignitatem in melicis quoque jure videor tueri posse necdum adsumendam arbitror meri personam rhythmi: quos eosdem disceptatores nemo poterit recusare, si quando Graecorum ars rhythmica vere reperta fuerit et ab inferis evocata. Jam Euripidis monodias, quas olim corrigere studui, secundis curis retractare placet. Demonstravi autem (De Monodiis Eurip. I, p. 3 sqq.)

*) Promissa est P. Marquardi editio *Ἀριστοξένου ῥυθμικῶν*, quae fragmenta mox iterum alius recensabit.

pleraque hujus generis cantica minime esse antistrophica idque primum et ex ipsis et e parodiis Aristophaneis intelligi, deinde autem ab Aristotele diserte traditum esse, unius tamen monodiae in Oreste v. 952 sqq. priorem partem antistrophicam esse, alteram non item. Itaque haec quidem Euripidis carmina Seidlerum infeliciter tractasse eam ipsam ob causam, quod cantica ἀπολελυμένα ille omni vi adhibita in antistrophica cogere non sine magna temeritate ausus sit, Aeschylī in Prometheus v. 558 sqq. monodia fallente, cujus maxima pars sane habet antistrophum. Quamobrem in Aeschylī monodia et numerorum indolem perspicere et scripturae vitiis mederi multo facilius est quam in Euripideis, quarum ulcera interdum vix licet ita expurgare, ut et aliis omnibus et tibi ipse satisfacias. Ceterum jam olim ad unam omnes Euripidis monodias mihi putavi complectendas esse, quo facilius tum ex tot versibus communes eorum leges eruerem tum sanorum locorum et similium ope corruptos melius sanarem. Sed quoniam multis monodiis dochmii partim continentur, de hac quoque re rhythmicos meros praemonebo. Seidlerus enim ultra pedes partesque dochmiorum eorumque cum aliis numeris conjunctionem non progressus neque versus dochmiacos neque systemata neque utrorumque nexum et rationem omnino perspexit. Immo hic vir, cui sane ab ipsis initiis proficiscendum erat dochmii monometri et ab ejus formis XXXII, ut ipse putabat, quarum formarum plurimae nusquam adhibitae sunt, idem ea in quibus cardo rei vertitur, vix breviter tetigit p. 108 sq., dimetrum et trimetrum tota denique dochmiorum systemata. Ita factum est, ut et Seidlerus et ipse Hermannus nimiam formarum varietatem in dochmiis vel acceptam propagarent vel ipsi ultro inferrent. Dico non tam Aeschylum, cujus etiam in dochmiis eximia quaedam ars est et plane admirabilis simplicitas, quam Euripidem. Ego vero facta ab Seidlero et Hermanno discessione jam olim id studui, ut Euripidei dochmii ne nimium ab Aeschyleis discreparent, atque in eadem sententia hodieque persisto. Et Aeschylī quidem in dochmiis elegantiam nemo melius est adsecutus Dindorfio in Praefat. ad Aeschylum p. VII–XXXIV ed. tert., ubi etsi Aeschyleum chorum in Septem adv. Th. v. 78 sqq. emendare conatus est, tamen non dubium est, quin hicce metricus similem dochmiorum severitatem Euripidi quoque tribuat. Itaque quod ad rhythmos adinet dochmiorum, quam rem ego quoque jam pridem videram, eandem per se vidit etiam G. Dindorfius. Vel sic tamen, quum volubiles dochmii Euripidi placeant et Aeschyleis haud raro dissimiles, de singulis quibusdam Euripidis versibus adhuc ambigi et in utramque partem disputari potest. Ubique tamen dochmii compositi hoc debent habere, ut aut eodem pede aut simili toti decurrant, eodem velut in his trimetris

vel
simili velut in his

vel

I.
Incipiam ab Jocastae monodia in Phoenissis v. 301–354, quae omnia cum superiore chori cantu ab v. 291 hodie in hunc maxime modum corrigo:

XOPOS.

295 ὦ συγγένεια τῶν Ἀγήνορος τέκνων,
ἐμῶν τυράννων, ὧν ἀπεστάλην ὕπο,
γονυπετεῖς ἔδρας προσπίτνω σ',
ἄναξ, τὸν οἰκοῦν νόμον σέβουσα.
ἔβας, ἔβας ὦ χρόνῳ γὰρ πατρώαν' ἰὼ
πότνια μόλε πρόδρομος, ἀμπέτασον πύλας.
κλύεις ὦ τεκοῦσα τόνδ' ὦ μήτερ;
300 τί μέλλεις ὑπώροφα μέλαθρα περᾶν
θιγεῖν τ' ὀλέναις τέκνον;

ΙΟΚΑΣΤΗ. στροφή α.

Φοίνισσαν, ὦ νεάνιδες, βοᾶν ἔσω
δόμων κλύουσα τῶνδε γῆρα τρομερὰν ἔλω

παιδί ποδὸς βάσιν.

ἰὼ τέκνον,

χρόνῳ σὸν ὄμμα μυρίαις ἐν ἡμέραις

προσείδον· ἀμφίβαλλε μα —

στὸν ὠλέναισι ματέρος

παρηγῶν τ' ὄρεγμα βοστρύχων τε

κυανόχρωτα χαίτας πλόκαμον, σκιάζων με δέραν ἁμάν.

στροφή β'.

ἰὼ ἰὼ, μόλις φανείς

ἄελπτα κἀδόκητα ματρὸς ὠλέναις.

τί φῶ σε; πῶς ἄπαντα,

[πῶς] πολυέλικτον ἄδονα

καὶ χερσὶ καὶ λόγοισιν

ἐκείσε καὶ τὸ δεῦρο περὶ —

χορεύουσα τέρψιν παλαιᾶν λάβω χαρμονᾶν;

στροφή γ'.

ἰὼ τέκος, ἐμὸν τέκος,

ἔρημον πατρῶον ἔλιπες δόμον

φυγὰς ἀποσταλεις ὁμαίμου λῶβα,

ἢ ποδεινὸς φίλοις, ἢ ποδεινὸς Θήβαις.

ὅθεν ἐμὴν τε λευκόχροα κείρομαι

δακρυόεσσι· ἀνείσα πένθει κόμαν,

ἄπεπλος δὲ φαρέων λευκῶν, τέκνον,

δυσόρφναια τᾶμφιτρυνῇ τάδε

σκότι ἀμείβομαι.

στροφή δ'.

ὁ δ' ἐν δόμοισι πρέσβυς ὁμματοστερῆς

ἀπῆνας ὁμοπτέρου τᾶς ἀποζυγείας δόμων

πόθον ἀμφιδάκρυτον αἰεὶ κατέχων

ἀνῆξε μὲν ξίφους

ἐπ' αὐτόχειρά τε σφαγὰν

ὑπὲρ τέραμνά τ' ἀγχόνας

στενάζων ἀρὰς τέκνοισι·

σὺν ἀλαλαῖσι δ' αἰὲν αἰαγμάτων σκότια κρύπτεται.

στροφή ε'.

σὲ δ', ὦ τέκνον, γάμοισι δὴ

κλύω ζυγέντα παιδοποιὸν ἄδονα

ξένοισιν ἐν δόμοις ἔχειν

ξένον τε κῆδος ἀμφέπειν,

ἄλαστα ματρὶ τάδε Λα —

ἰὼ τε τῷ παλαιγενεῖ,

γάμων ἐπακτὸν ἄταν.

στροφή ς.

ἐγὼ δ' οὔτε σοι πυρὸς ἀνήψα φῶς,

νόμιμον ἐν γάμοις, [νόμιμον,] ὡς πρέπει

ματέρι μακαρία·

ἀνυμέναια δ' Ἴσμηνὸς ἐκηδεύθη λουτροφόρου χλιδᾶς·

ἀνὰ δὲ Θηβαίαν πόλιν εἰσιγάθη σᾶς ἔσοδοι νύμφας.

ὅλοιο, τὰδ' εἴτε σίδαρος [ὁ δράσας,]

εἴτ' ἔρις εἴτε πατήρ ὁ σὸς αἴτιος,

εἴτε τὸ δαιμόνιον κατεκώμασε

δώμασιν Οἰδιπόδα·

πρὸς ἐμὲ γὰρ κακῶν ἔμολε τῶνδ' ἄχῃ.

fieri voluerunt: *κυνόχρωτι* — *πλοκάμῳ*. Certo autem explodenda est anonymi conjectura *χαίταις* pro *χαίτας*. Jocasta enim, ut v. 321 ipsa dicit, crines luctus causa absciderat. V. 314 sqq. H. l. sicut etiam Hermannus sensit, numeri innumeri sunt, propterea quod iambici versus uno trochaico interrumpi non possunt. Sic enim libri plerique: *πῶς ἅπαντα | καὶ χερσὶ καὶ λόγοισι | πολυέλικτον ἄδοναν | ἐκείσε καὶ τὸ δεῦρο περι- | χορεύουσα τέρψιν παλαιῶν λάβῳ χαρμονῶν;* (pars librorum *παλαιῶν λάβῳ χαρμονῶν*). Nam absurdam lectionem καὶ κόμαισι pro καὶ λόγοισι, qua male nixus Musgravius καὶ κόμαισι conjecit, primus Valckenarius derivatam esse ostendit ex Hecub. v. 837 (820): *εἴ μοι γένοιτο φθόγγος ἐν βραχίσιον | καὶ χερσὶ καὶ κόμαισι καὶ ποδῶν βάσει* —. Hic vero importuni trochaei indicio sunt, totum locum jam antiquitus turbatum esse. Atqui, id quod editores non vidisse miror, scholiastae ad unum omnes verba *ἐκείσε καὶ τὸ δεῦρο* continuo post vocem *λόγοισι* legerunt. Itaque antiquior eorum qui nunc sunt codicum aetate nostri loci scriptura haec est: *πῶς ἅπαντα | πολυέλικτον ἄδοναν | καὶ χερσὶ καὶ λόγοισιν | ἐκείσε καὶ τὸ δεῦρο περιχορεύουσα τέρψιν παλαιῶν λάβῳ χαρμονῶν;* Antiquissimam igitur lectionem scholiastarum, qui similem Hecubae locum non sine causa comparant, nunc caetera verbo tenus servavi, praeterquam quod in verbis *πῶς ἅπαντα | πολυέλικτον ἄδοναν* metri causa usus sum anaphora quae in hac voce *πῶς* poetis frequens est et ita correxi: *πῶς ἅπαντα | πῶς πολυέλικτον ἄδοναν* —. Ita strophae secundae versus sex priores generis sunt iambici. Nempe in monodiarum vehementiam minime legitima sed breviter tantum systemata conveniunt, quae ipsa saepe uno alterove versu (simillimo illo tamen) interpellantur. Quum scriberem quae in Philologo l. l. p. 325 leguntur, jam equidem noram lectionem scholiorum sed tum nimis audacter immutavi. V. 317. Verba *ἑμὸν τέκος* e Florentino 33 recte addiderunt Matthiae et Hermannus frustra repugnante Seidler. V. 320. Hic versus, id quod et Seidlerum p. 256 et Hermannum fugit, in libris recte est creticus. Nullo enim modo fieri potest, ut in monodia cantico vehemente ex uno pede iambico et sedecim dochmiis iisque perpetuis neque ulla aliorum numerorum varietate distinctis systema constiterit. V. 323. Libri *δακρυόεσσαν ἰεῖσα πένθηρῃ κόμαν*. Hic vero locus ab Hermanno optime ita correctus est: *δακρυόεσσ' ἀνείσα πένθει κόμαν*, quum Valckenarius *δακρυόεσσ' ἀνείσα* conjecisset. Utraque Hermannii emendatio scholio Augustano et Taurinensi innititur, qui scholiasta in codice suo scriptum invenit *δακρυόεσσαν εἰς ἀπενθῇ κόμαν*, ipse autem temere conjecit vel *δακρυόεσσαν εἰς σὰ πένθη κόμαν*, vel *δακρυόεσσαν εἰς ὃ ἀπενθῇ κόμαν*. Adeo quod ego supra de v. 314 sqq. primum observavi, idem h. l. vidit Hermannus. Utrubique enim scholiastarum lectionibus codices nostri recentiores sunt. Vel hoc in loco antiquior scriptura fuit *ἀπενθῇ*, vulgata autem *πένθηρῃ* aliquanto post a malo correctore substituta est. V. 324 sq. Libri *ἄπειλος φαρῶν λευκῶν, τέκνον | δυσόφφραιναι δ' ἀμφιτρύχη τάδε | σκότι' ἀμείβομαι* (plurimi libri *ἀμφὶ τρύχη*, sed recte Hesychius *ἀμφιτρύχη*, quod bene graecum esse ostendit Valckenarius). Nostrorum librorum interpolatio fortassis ei scholiastae imputanda est, qui male scripsit: *καὶ σικτίον ἐν τῷ „τέκνον“*. Quum primi versus vitium metricum in oculos incurreret, nondum tamen exstitit, qui haec bene corrigeret. Nimirum sententiae quoque inepte vinctae sunt, quum *ἄπειλος* ad verbum *ἀμείβομαι* referri debeat, et candida vestis pullae vesti opponatur, non comae abscisae. Primum igitur metro ita potius mederi par est, ut vox *δέ*, quae nunc post *δυσόφφραιναι* exstat, post v. *ἄπειλος* transponatur. Tum articulo rariore illo quidem in poesi lyrica hic tamen ante v. *ἀμφιτρύχη* plane opus est, ut intelligi possit, quodnam e tribus adjectivis locum teneat substantivi. Sic igitur corrigendum est, uti De Mon. Eur. I. p. 38 et in Philologo l. l. p. 326 docui: *ἄπειλος δὲ φαρῶν λευκῶν, τέκνον, | δυσόφφραιναι τ' ἀμφιτρύχη τάδε | σκότι' ἀμείβομαι*. Ita qui panni musae Euripideae ab Aristophane in Acharn. v. 393 τὰ τρύχη dicti sunt, eos ipse poeta pannorum amator h. l. dixit τὰ ἀμφιτρύχη. Pro *φαρῶν λευκῶν* cum Seidler et Hermanno *λευκῶν φαρῶν* scribendum esse nego et pernego. V. 337 sq. Libri *σὲ δ', ὦ τέκνον, καὶ γάμοισι δὴ κλέω | ζυγέοντα παιδοποιὸν ἄδοναν* —. His vitium inesse vel secundi versus metrum non illud usitatum argumento est. Hodie prorsus Hermannum sequor, qui καὶ ante v. *γάμοισι* delevit, quae particula hic per se apta est, necessaria non est. Saepe librarii male addunt voculam

καί, ut hoc ipso loco cod. Marcianus et unus scholiastarum etiam ante v. παιδοποιόν. Strophæ quinta iambici dimetri potissimum continentur, id est non legitimum systema, quod genus ab monodiis abhorret, sed uno trimetro interruptum. Eodemque modo strophæ secunda v. 311 sq. incipit, ubi item plures versus iambici sequuntur. Sed quid est, quod primum versum σὲ δ', ὦ τέκνον, καὶ γάμοισι δὴ κλύω in prima et altera editione ab me defensum hodie mutare ausus sum? Certe et Porsonus hoc metri genus recte negat tragicis ignotum esse et ex ipso partim Euripide exempla huius metri collegerunt Elmsleius ad Ar. Acharn. v. 1209 (1194) sqq. et Reisigius ad Soph. Oed. C. p. 291 sq., quibus adde Pelei Euripidei versus ap. schol. ad Ar. Nub. v. 1157 ita fortasse scribendos: βοάσομαι τὰρα τὰν ὑπέρτονον | βοάν. ἰὼ Πηλέως τις ἐν δόμοις; At vero hi numeri ab nostro quidem loco atque adeo ab tota hac monodia alieni sunt. Quam rem nunc demum ego quoque intelligo, olim uni egregie perspectam et explore cognitam Hermannō. V. 341. τὰδε Valckenarius. Libri τὰδε. V. 343. επακτὸν e cod. Florentino primus recepit Porsonus. Caeteri libri επακτάν, quod Seidler l. l. p. 121 Porsonō male increpito frustra probavit, Hermannus non item. V. 346. Libri Euripidis φῶς νόμιμον ἐν γάμοις, ὥς πρέπει. Plutarchus de exilio p. 606. F. citat ἀνὴρ γόνιμον (sic) ἐν γάμοις proximis usque ad ἀννύμεναια omissis, denique schol. ad Apollon. Rh. IV, 808 in cod. Parisino habet: φῶς νόμιμον, ὥς πρέπει —. Quum hic quidem dochmiis opus sit continuis, vix dubito, quin ita corrigendum sit: φῶς | νόμιμον ἐν γάμοις, νόμιμον, ὥς πρέπει. Quod cuiusmodi sit, certa lex edocet dochmiorum, quae lex ab Seidlerō De vv. Dochm. p. 278 recte tradita est. V. 347. Libri ματρί. Recte Seidler l. l. p. 90: ματρί. V. 349. Plerique libri εἰσγάθη σὰς εἰσοδος νόμφας et εἰσγάθη h. l. legit etiam Hesychius. Tamen scholiasta ad h. l.: γρ. καὶ „εἰσγάθησαν.“ Pro εἰσοδος Vaticanus et Florentinus εἰσοδον, sed Marcianus prior εἰσοδοί ac similiter Taurinensis εἰσοδοί (sic). Hinc praeclare Kirchhoffius non Seidlerī conjecturam εἰσοδος sed pluralem εἰσοδοί reposuit schemate Pindarico. Non minus recte Hermannus in Aeschyli Persis v. 50 e scholiasta et libro Mediceo rescripsit: στυγνὰ δ' ἱεροῦ Τιμῶλον πελάται. At pedestres scriptores hoc schemate non saepius, quod meminerim, quam in formula attica εἰσιν οἱ uti non dubitarunt. V. 350. Libri ὅλοιτο τὰδ' εἴτε σίδαρος | εἴτ' ἔρις et vulgo post τὰδ' male interpunctum est. Valckenarius non hoc tantum vidit, verba ὅλοιτο τὰδ' cohaerere non posse, sed etiam menda hunc locum adfectum esse recte iudicavit. Et ipse quidem vir summus pro ὅλοιτο τὰδ' conjectit: ὅλοιθ' ὁ τὰδ', quam ipse religiosi hominis deum incusare cunctantis opinatur esse aposiopesis pro ὁ τὰδε μυσάμενος. At neque haec reticentia usitata fuit, neque τὰδ' ab voce αἴτιος pendere potest. Itaque haec quidem Valckenari divinatio improbanda est, quam et ipse Porsonus mentione et ego cum Brunckio etiam imitatione dignam olim habuimus. Hodie ego arbitror post ΣΙΛΑΡΟΣ haec ipsa verba excidissee ΟΔΡΑΣΑΣ atque adeo sic rescribendum esse: ὅλοιτο, τὰδ' εἴτε σίδαρος ὁ δρᾶσας, | εἴτ' ἔρις —. Vide mihi Soph. Electr. v. 126: ὥς ὁ τὰδε πορὼν ὅλοιτο, tragici incerti Rhesium v. 868: ὅλοιθ' ὁ δρᾶσας et confer Phoeniss. v. 1037. Haec hactenus.

INDEX LECTIONUM.

In ordine theologico.

- D. Otto Carsten Krabbe, P. P. O., 1) privatim philosophiae christianae historiam enarrabit quinque diebus h. IX; 2) privatim theologiam moralem docebit quinque diebus h. X; 3) publice in Seminarii sodalitate homileticas sodalium exercitationes die Saturni h. IX et h. X moderabitur.
- D. Fridericus Adolphus Philippi, P. P. O., h. t. Decanus, 1) privatim symbolice et polemicen docebit sive doctrinam ecclesiasticam exponet et defendet senis p. h. scholis, quinque h. XI et hora definienda; 2) privatim Pauli Apostoli epistolas minores explicabit quinque p. h. hora XII; 3) publice conversatorium theologicum moderabitur binis horis definiendis.
- D. Joannes Bachmann, P. P. O., I. privatim: 1) Vaticinia V. Ti Messiana interpretabitur quinque p. h. scholis h. VII—VIII; 2) librum Jobi explicabit quinque p. h. hora VIII—IX; II. publice: 1) R. Davidis Kimchi librum Michlol, praemissa historia grammaticae et lexicographiae hebraicae inter Judaeos auditoris explicandum proponet die Martis et Lunae hora II—III; 2) selectos S. Ephraemi Syri hymnos exponet binis p. h. scholis definiendis; III. privatissime sed gratis in conversatorio exegetico Jesajae capp. XIII—XXVII tractabit, die Mercurii hora VI—VIII vesp.
- D. Augustus Guilielmus Dieckhoff, P. P. O., 1) privatim historiae ecclesiasticae partem secundam quinque p. heb. h. VIII, 2) privatim historiam doctrinae Protestantium quinque p. h. h. III tradet, et 3) publice exercitationes catecheticas in seminario d. Sat. h. XI et h. XII moderabitur.

In ordine juridico.

- D. Otto Mejer, P. P. O., h. t. Decanus, quinque p. heb. docebit: 1) processum criminalem h. IX.; 2) jus ecclesiasticum h. XI.
- D. Hermannus Augustus Schwanert, P. P. O., 1) docebit jus obligationum quinque p. h. scholis h. XII; 2) historiam juris Romani tradet quinque scholis h. XI; 3) Relatorium instituet die Saturni h. XI—I.
- D. Hugo Boehlau, P. P. O., privatim 1) historiam juris Germanici tradet quinque p. h. scholis h. XII; 2) jus mercatorium docebit quinque p. h. scholis h. X; publice de jure cambiali disseret bis p. h. die Saturni h. IX—XI.
- D. Theodorus Muther, P. P. O., 1) processum civilem docebit sexies h. IX; 2) institutiones juris Romani tradet sexies h. X duce Salkowski, Lehrbuch der Institutionen (1868); 3) practicum quod vocant pandectarum et processus civilis moderabitur hh. cc.; 4) Domitii Ulpiani quae vocant fragmenta interpretabitur hh. cc.

- D. Adolphus Wach, P. P. O. des., 1) privatissime et gratis Decretalium Gregorii IX. librum II explicabit die Mercurii h. IV p. m.; 2) jus criminale docebit quinquies p. h. h. VIII.

In ordine medico.

- D. Carolus Stempel, P. P. O., Academiae Senior, valetudine impeditus lectiones non indicit.
- D. Hermannus Stannius, P. P. O., adversa valetudine impeditus lectiones nullas habebit.
- D. Theodorus Thierfelder, P. P. O., h. t. Rector, 1) publice de morbis infectione ortis diebus Lunae et Martis h. IX, 2) privatim de morbis organorum respirationis et circulationis diebus Mercurii, Jovis et Veneris h. IX, 3) privatissime de aegrotis policlinicis die Saturni hh. VIII et IX disseret; 4) exercitationes practicas in clinico medico diebus Lunae, Mercurii et Veneris hh. X et XI moderabitur.
- D. Franciscus Winckel, P. P. O., h. t. Decanus, 1) clinicum gynaecologicum quinis diebus h. VIII moderabitur; 2) privatim gynaecologiae partem priorem: artem obstetriciam quaternis horis h. VII, 3) publice pathologiam et therapiam partus binis horis docebit.
- D. Hermannus Aubert, P. P. O., 1) publice: Encyclopaediam medicinae diebus Lunae et Jovis h. XII—I, 2) privatim: Physiologiae partem alteram (functiones vegetativas) quotidie h. VIII—IX, 3) privatissime exercitationes physiologicas moderabitur binis per hebdomadae diebus horis definiendis.
- D. Phil. Jac. Guilielmus Henke, P. P. O., 1) anatomes c. h. partem alteram quotidie h. XI, 2) histologiam exercitationibus illustrandam die Martis et Mercurii h. IX—XI; 3) publice artem res anatomicas delineandi die Lunae h. IX—XI docebit.
- D. Theodorus Ackermann, P. P. O., 1) privatim anatomen pathologicam specialem quater p. h. hora III, 2) privatim materiam medicam bis p. h. hora III tradet; 3) privatissime exercitationes et demonstrationes in instituto pathologico diebus Lunae, Mercurii et Veneris hh. IV et V, nec non 4) publice perscrutationes laryngoscopicas die Saturni h. V moderabitur.
- D. Guilielmus de Zehender, P. P. O., 1) Ophthalmologiam quaternis p. h. horis IX—X docebit; 2) exercitationes practicas in clinico ophthalmiatrico diebus Lunae, Mercurii et Veneris h. XII—I et dimidia moderabitur; 3) cursum operationum quae in arte ophthalmiatrica adhibentur, horis definiendis docebit.
- D. Franciscus Koenig, P. P. O. des., 1) doctrinam operationum chirurgicarum docebit; 2) operationes chirurgicas reget horis definiendis; 3) chirurgiam generalem docebit; 4) clinicum chirurgicum moderabitur.

D. Franciscus Eilh. Schulze, P. P. E., theatri anatomici Prosector, 1) anatomien comparatam organorum respirationi inservientium binis horis docebit, 2) exercitationes anatomicas microscopicas octonis p. h. horis instituendas commilitonibus in ejusmodi exercitationibus jam versatis offert; 3) de fabrica et usu microscopi disseret.

D. Guilielmus Brummerstaedt, 1) de mulierum morbis quaternis p. h. horis lectiones habebit; 2) cursum operationum, quae in arte obstetricia adhibentur, ter p. h. dabit; 3) methodum explorationis gynaecologicae explicabit.

In ordine philosophico.

D. Franciscus Volemarus Fritzsche, P. P. O., privatim 1) binis diebus h. VIII Plauti Menaechmos interpretabitur; 2) binis diebus Aristophanis Thesmophoriazusas explicabit; 3) binis diebus h. III Aeschyleam Septem Adversus Thebas explanabit; 4) binis diebus h. VIII artem Graecorum metricam tradet; 5) horis consuetis Seminarii philologici exercitationes moderari perget, in quo selecti dialogi Luciani atque Horati epistolae tractabuntur.

D. Joannes Roeper, P. P. O., 1) publice docebit elementa anatomies plantarum die Saturni h. X—XII; 2) privatim botanicae generalem exponet demonstrationibus et exercitationibus illustrandam, senis diebus h. VIII; 3) itinera botanica instituet die Saturni horis pomeridianis.

D. Eduardus Danielus Henricus Becker, P. P. O., privatim: 1) agros metiendi doctrinam tradet sexies p. h. h. III; 2) culturam plantarum agrestium quater p. h. docebit h. X.

D. Ludovicus Bachmann, P. P. O., privatim: 1) ter per hebdomadam Hymnos Homericos interpretabitur; 2) ter per hebdomadam Horati epistolas et Artem poeticam explicabit. Privatissime quater per hebdomadam Topographiam veteris Graeciae Pausania duce enarrabit.

D. Hermannus Karsten, P. P. O., h. t. Decanus, docebit: privatim 1) geometriam analyticam, quater p. h.; 2) physices experimentalis partem primam (physicam generalem, acusticam, opticam) quinquies p. h.; 3) mineralogiam, quater p. h. horis definiendis.

D. Franciscus Schulze, P. P. O., 1) chemiam docebit et experimentis illustrabit, quotidie h. IX—X; 2) exercitationes chemicas moderabitur, vel quotidie omnibus horis commodis vel diebus Martis et Veneris h. III—VII; 3) exercitationes agronomicas diriget, horis definiendis.

D. Carolus Bartsch, P. P. O., 1) publice Ulfilae versionem biblicam gothicam tractabit bis p. h.; 2) publice carmina selecta francogallica ex libro suo „Chrestomathie de l'ancien français“ (Lips. 1866) interpretabitur bis p. h.; 3) privatim Mythologiam germanicam tradet ternis p. h. scholis; 4) seminarii philologici teutonici exercitationes moderari perget.

- D. Hermannus Roesler, P. P. O., quinis p. h. diebus tractabit: 1) doctrinam de redditibus publicis; 2) oeconomiam politicam.
- D. Fridericus Guilielmus Schirmacher, P. P. O., 1) privatim: historiam nationis Germanicae a Caroli V. electione docebit quinis diebus; 2) publice: historiam reipublicae Romanae ab anno 133 ante Chr. n. usque ad annum 31 post Chr. n. enarrabit bis p. h.; 3) publice: exercitationibus historicis methodum historiae et disciplinas subsidiarias tradet ter p. h.
-
- D. Carolus Weinholtz, privatim: 1) Organoidealismi institutiones, ex systemate suo, Lips. 1856, docebit; 2) notionum evolutionis doctrinam ex logicae compendio suo, exercitationibus practicis adjunctis, exponet.
- D. Julius Robert, privatim: 1) quater p. h. de lingua gallica scholas practicas habebit; 2) grammaticam francogallicam docebit bis p. h.; 3) viro- rum literatorum, qui nunc florent imagines depinget ter p. h. gratis; 4) de historia literarum francogallicarum hujus saeculi disseret bis p. h.
- D. Salomo Gustavus Ludovicus Cohen, 1) exercitationes practicas in clinico veterinario in eorum usum moderabitur, qui agriculturae student; 2) de animalium domesticorum partu adjuvando, 3) de disciplina publica deque medicina forensi in morbis animalium contagiosis disseret.
- D. Ferdinandus de Roda, in Seminarii sodalitie cantum liturgicum in usum theologorum publice docebit quater p. h.
-

Bibliotheca Academica diebus et horis lege constitutis patebit, **Museum** autem die Lunae h. II—IV commilitonibus nostris aliisque aperiatur. Peregrinas linguas ut anglicam discendi occasio data est. Sunt etiam magistri, qui alias artes liberales publice profiteantur.

Summo academiae magistratu hoc tempore fungitur

Th. Thierfelder, M. D.

Praesidet ordini Theologorum **Fridericus Philippi, Th. D.**

Jurisconsultorum **Otto Mejer, J. U. D.**

Medicorum **Franciscus Winckel, M. D.**

Philosophorum **Hermannus Karsten, Ph. D.**
